

niam. Deinde non id statim Analogiae huic repugnare censebit, quod ab unius vel alterius Theologi sententia remotum est. Ipsa propositio & habitudo sententiæ privatæ ad dogmata & Religionis capita consideranda: vindendum quid in recessu habeat, & virtute sua contineat opinio: distinguendæ tamen probè consequentiæ, queis aliquid Fidei analogum vel minus judicatur. Sunt enim nexus interdum dubii, obscuriores ac remotiores: eo minus proinde admittendi, quò periculosius est: Fratris dissensum Analogiae Fidei adversum declarare. Illud verò maximè observandum, ne analogiam Fidei cum instrumentis seu rationibus, quarum beneficio illa indagatur, confundamus: illa enim divina est, Scripturis ipsis contenta: rationes verò & media indagandi etiam aliunde petuntur: interdum enim ab ipsis Scriptoribus θεοπνεύσοις aliquid Analogiae istius clarius ostenditur, vid. illustre exemplum I. Cor. XV, 12. ubi Apostolus comparationem erroris, Resurrectionem negantis cum resurrectione Christi, & salute humana in universum instituit. Cæterum in subsidium Analogiae hujus dignoscendæ haud immeritò sumuntur libri symbolici, quos vocamus: non tamen æquus Judex id statim Analogiae Fidei adversari censebit, quod quacunque ratione à symbolis dissentit, substantia ipsa, Fidei doctrina hic attendi debet. Porò multa primo aspetto videntur conformia Fidei vel ab ipsa difformia, quæ verò temporis progressu & adcurata meditatione magis illucescunt, unde nequaquam committendum, ut quis præceps sit Judicio; tamen, qui manifestò proditi sunt errores, intempestivo silentio vel charitatis malè ordinatae proposito dimittere, vel se non legisse falsò testari,